

Quaestio II

An voluntas de potentia Dei ordinaria, obiecto fruibili ab intellectu apprehenso, necessario fruatur?

Determinatur tandem, quod voluntas, per se loquendo, de potentia Dei ordinaria obiecto fruibili ab intellectu apprehenso necessario fruatur, cum tamen in via ab huiusmodi actu sese per accidens possit subtrahere, licet in patria ita necessario fruatur, ut neque per se, neque per accidens, ab illa fruitione se nequeat avertere.

UTRUM SECUNDUM ordinem, quem nunc credimus a Deo institutum, obiecto fruibili apprehenso per intellectum, necesse sit ipsam voluntatem frui? Et videtur quod non, quia potentia essentialiter libera necessitari non potest, quia quod necessitatur, violentari videtur. Sed voluntas est potentia essentialiter libera, ergo etc. CONTRA OMNIS virtus appetitiva necessario videtur appetere id, in quo consistit summa eius perfectio, maxime, cum id actualiter fuerit sibi ostensum. Sed in fruitione ultimi finis consistit summa perfectio voluntatis, ergo etc. DICENDUM, quod duplex est fruitio, scilicet incompleta, qua fruimur in via; et completa, qua fruimur in patria. Et secundo hoc ponam quattuor conclusiones, puta duas quoad primam fruitionem, et duas quoad secundam fruitionem. PRIMA CONCLUSIO, quod pro statu viae obiecto fruibili apprehenso per intellectum sub ratione ultimi finis, de necessitate voluntas fruitur eo, fruitione viae, non tamen necessitate coactionis, sed necessitate naturalis immutationis. Secunda conclusio, quod [79b] * licet sic sit per se loquendo, per accidens tamen voluntas potest ab illa necessitate resilire. Tertia conclusio, quod obiecto fruibili clare viso in patria, per se loquendo necesse est voluntatem frui fruitione patriae. Quarta conclusio, quod nec per se, nec per accidens a tali fruitione voluntas in patria potest se avertere.

PRIMAM CONCLUSIONEM probo sic. Actus, qui est alicui potentiae simpliciter naturalis, ut sic est sibi simpliciter necessarius. Sed ostensa beatitudine, sine ultimo fine ipsi voluntati, voluntas naturaliter amat et desiderat ipsam, quod quidem desiderium est quaedam fruitio viae, ergo necessario fruetur ea. Maior patet. Minorem probo, quia ille actus, qui consequitur totam speciem, est simpliciter naturalis desiderium beatitudinis, seu ultimi finis actu apprehensi consequitur totam speciem voluntatis, ergo etc. Maior est nota et minor patet, tam per philosophos, quam per sanctos. Per philosophos quidem, quia dicitur in principio Ethicorum¹, quod omnia bonum appetunt. Sed nihil est quod tam complete habeat rationem boni, sicut ultimus finis, ergo etc. Item ait Boetius quod inserta est nobis naturaliter veri, bonique cupiditas. Item secundum Augustinum 8 De Trinitate:² *Natura compellit omnes ad volendum beatitudinem et immortalitatem, quia omnes interrogati respondent statim ista se velle.* Et 13 De Trinitate dicitur³: *Beati esse omnes volunt.* Et infra: *Ista vera est et examinata certa sententia, beatos esse omnes homines velle.* Et sequitur: *Hoc veritas clamat et natura compellit, quam summe bonus et immutabilis creator indidit. Id autem est necessarium, quod est idem apud omnes, tale enim immobile est,* ut dicitur 10 Ethicorum.⁴ 2. Praeterea, sicut id, quod est malum realiter et apparenter, se habet ad prosecutionem, sic id, quod est bonum realiter et apparenter, se habet ad refutationem. Sed illud nullatenus potest desiderari, ergo illud nullatenus potest refutari, sed obiectum fruibile est bonum realiter et apparenter, ergo etc. Quod autem nulla prosecutio, vel desiderium esse possit respectu illius, quod est malum, tam existenter, quam apparenter, patet per Beatum Dionysium. *De divinis nominibus* ubi ait quod nullum agens

¹ Lib. I c. 1

² Cap. 3 tom. 3

³ Cap. 8 tom. 3

⁴ Cap. 4

aspici ens ad malum, agit quod agit. 3. Praeterea, finis acceptus in sua totalitate, magis est appetibilis, quam acceptus in quacunque sua parte. Sed esse et vivere, quae sunt partes ultimis finis integraliter sumpti, appetuntur necessario, iuxta illud 9 Ethicorum⁵: *Esse et vivere est omnibus eligibile et amabile, ergo totus finis, scilicet ipsa beatitudo includens esse et vivere, et omne aliud bonum necessario diligitur*. 4. Praeterea, non minor reperitur ordo in motibus spiritualibus, quam in motibus corporalibus, sed omnes motus corporales mutabiles et diffformes reducuntur ad unum motum uniformem, ut patet 8 Physicorum⁶, ergo omnes motus voluntatis respectu eorum quae sunt ad finem, qui sunt mutabiles reducentur in motum, qui est in finem, tanquam in motum necessarium et maxime uniformem. 5. Praeterea, 2 Physicorum⁷ dicitur quod, sicut se habet principium in speculabilibus, sic se habet * finis in agilibus. Sed intellectus speculando necessario tendit in principia, nec potest principiis non assentire, ut patet 1 Posteriorum⁸ et 2 Metaphysicae.⁹ Ergo voluntas in agendo et diligendo necessario tendit in finem. 6. Praeterea, praesentatum per intellectum voluntati sub ratione summi boni, omni carens defectu, ab ipsa voluntate non potest refutari. Sed obiectum fruibile est huiusmodi, ergo etc. 7. Praeterea, illud, participatione cuius voluntas vult omne quod vult, illud non potest voluntas non velle. Ultimus finis, seu obiectum fruibile est huiusmodi, quia omne bonum a nobis volitum, citra obiectum fruibile, est quaedam participatio illius obiecti. SED CONTRA illam conclusionem, sunt specialiter duo doctores. [80a] * Quorum primus arguit sic. Voluntas potest se avertere ab actu suo, mediante potestate, quam habet super actum intellectus, ergo et immediate potest se avertere ab actu suo. Consequentia patet per sanctum Augustinum qui primo libro Retractationum¹⁰ ubi ait: Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas. Praeterea, agens necessarium eadem necessitate removet prohibens, qua agit, sicut patet de gravi descendente. Sed voluntas non semper secundum posse suum removet prohibens fruitionem ultimi finis, puta non considerationem intellectus, cum tamen posset intellectum manutenere in consideratione ultimi finis. 2. Praeterea, quicquid necessario requiescit in aliquo sibi praesente, hoc necessario tenet illud, nec dimittit, nisi violenter auferatur. Grave enim existens deorsum non definit illud ibi, nisi violenter inde auferatur. Sed voluntas in statu viae, delectata in ultimo fine sibi ostenso per intellectum, non necessario retinet finem, cum tamen se posset firmare in eo, imperando intellectui suam considerationem, ergo etc. 4. Praeterea, agens de necessitate agit secundum ultimum potentiae suae, quia, sicut actus non est in potestate sua, sic nec modus agenda. Sed ultimo fine apprehenso, non semper experimur, nos ipsum secundum totum nostrum conatum ardentissimo amore diligere. 5. Praeterea, quodcumque potentiae sunt subordinatae, si necessitas fuerit in superiori, necessitas erit in omnibus aliis. Sed voluntas est superior in toto regno animae, et movet intellectum ad considerandum de fine, ergo, si ipsa necessatur respectu finis, tunc etiam intellectus necessabitur ad considerandum de fine, cuius oppositum experimur. SECUNDUS DOCTOR¹¹ arguit ad hoc idem sic. Illud non desiderat voluntas necessario, in quo defectum boni reperit et rationem alicuius mali. Sed obiectum fruibile, sine summum bonum apprehensum in universali, sive quomodocumque citra notitiam intuitivam, est huiusmodi, ergo etc. Probatur minor, quia apprehensum in universali apprehenditur obscure, et per consequens nec est satians, nec quietans. 2. Praeterea, sub tali actu non est voluntas necessario, qui potest impediri et causaliter et deliberate, sed stante actuali apprehensione ultimi finis, actus voluntatis circa ipsum quandoque casualiter impeditur; alias legens primum, vel decimum Ethicorum, in quibus tractatur de ultimo fine, semper actualiter

⁵ Cap. 10

⁶ Tex. c. 89

⁷ Tex. c. 8

⁸ Tex. com. 5

⁹ Tex. com. 1

¹⁰ Cap. 9 tom 2

¹¹ Aureolus

appeteret ultimum finem, quod minime experimur. Potest etiam impediri deliberate, qua desiderium finis potest concipi sub ratione impeditivi inquisitionis veritatis circa ultimum finem, eo quod secundum Philosophum in libro Ethicorum affectati non bene vident verum. 3. Praeterea, in nullo immobilitatur voluntas, nisi quietetur in eo. Sed in ultimo fine sic apprehenso in via voluntas non quietatur, ergo etc. 4. Praeterea, nullus amor concupiscentiae est necessarius in voluntate, nisi amor amicitiae, ex quo oritur ille amor concupiscentiae sic necessaries. Sed amor amicitiae, ex quo oritur concupiscentia et desiderium ultimo finis, non est necessarius, ergo etc. Maior patet, quia dato opposito, tunc effectus esset necessarius et causa contingens, quod est impossibile. Probatur minor, et primo quod desiderium ultimi finis sit quidam amor concupiscentiae, quia non appetitur, ut aliquod vivum, quod possit amore mutuae amicitiae complacere, sed appetitur ut quaedam perfectio et bonum ipsius appetentis. Nunc autem ita est, quod omnis talis concupiscentia habet ortum ex amore, quem quis habet ad seipsum, qui amor est contingens et in nostra potestate, alioquin non possemus nos plus, vel minus amare, nec caderet virtus, nec vitium in tali amore, quo nos ipsos amamus, cum virtus sit habitus electivus; nec posset homo seipsum contemnere propter Deum. Et propter dictas auctoritates Augustini et Dionysii. superius introductas, dicit primus doctor, scilicet Scotus, quod respectu ultimi finis in universali apprehensi per intellectum, quamvis voluntas naturaliter inclinetur ita, quod ipsum velit semper habitualiter, non tamen semper actu eli-[80b]-cito vult ipsum, sed potest suspendere actum suum ita, quod non velit ipsum aliquo actu positivo. SED ILLUD non valet, quia, cum unumquodque sic agatur, sicut aptum natum est agi, ut dicitur 2 Physicorum. Igitur, sicut aliquid est in potentia et aptitudine, sic postea procedit in actum; et ideo, si volitio finis est in habitu, necessaria ipsi voluntati, coactualiter praesentato et remoto impedimento, quod est non actualis consideratio, huius volitio actu erit necessaria. Unde ait Dionysius *De divinis nominibus*. Ad eum, qui est super omnia, extenditur amor uniuscuiusque secundum propriam eius naturam. Sed planum est quod naturalis extensio vel inclinatio est necessaria, ergo etc.

AD PRIMAM ERGO rationem primi doctoris dicendum quod consequentia non est bona, quia multa possumus mediate, quae non possumus immediate. In probatione vero est fallacia figurae dictionis, quia proceditur a re ad modum, quod est quasi mutare quid in quale, puta voluntas est in potestate sui ipsius quantum ad rem et substantiam actus, ergo quantum ad immediationem actus. Hoc enim non sequitur, quia licet voluntas immediate habeat libertatem contradictionis respectu eorum, quae sunt ad finem, stante etiam actuali eorum consideratione, hoc tamen non habet respectu ultimi finis, stante et permanente eius actuali consideratione. Alias invenitur sic. Ad primam rationem primi doctoris dicendum quod consequentia non est bona, quia multa possumus mediate, quae non possumus immediate. Ad probationem dicendum quod, si illa auctoritas Augustini applicatur ad propositum, tunc committitur fallacia consequentis, quia non sequitur hoc magis est in potestate illius, ergo immediate est ab illo, quia effectus est magis in potestate causae principalis, quam instrumentalis, et tamen est immediatius a causa instrumentali et secundaria, quam a causa principali. Ignis enim genitus immediatius causatur a calore, quam a substantia ignis generantis, quamvis magis sit in potestate substantialis formae, quam caloris, quia causa primaria plus influit, quam secundaria. Ad secundum dicendum ad minorem quod voluntas non semper habet plenum posse super remotione illius prohibentis, quia non est in potestate nostra, a quo primo moveatur intellectus. Etiam corporalis nostra necessitas nos cogit considerare quandoque de aliis, quam de ultimo fine. Etiam illa maior non videtur esse vera, quia omnes homines natura scire desiderant ut patet 1 Metaphysicae¹², et tamen non omnes remouent impedimentum ipsius scire in quantum possunt. Quia multi non student tantum, quantum possunt et deberent, nec abstinent a delectatione venereorum, quae maximum praestant impedimentum intellectivae cognitioni, ut patet 7 Ethicorum.¹³ Item, quamvis

¹² In prooem.

¹³ Cap. 5

intellectus de necessitate assentiat primis principiis, non tamen eadem necessitate tollit impedimentum illius actualis assensus, quia non semper considerat terminos et ordinem terminorum. Ad tertium dicendum quod minor non est vera pro statu praesentis vitae, ubi volubiles patimur cogitationes et a phantasmatibus vario modo immutatur noster intellectus, nec est in potestate nostra, a quo primo moveatur. Etiam corporalis necessitatis inedia de multis aliis, quam de ultimo fine, nos saepe cogitare compellit; propter quae velit, vel nolit voluntas pro statu praesentis miseriae, in ultimi finis dilectione, se non potest continuare actu semper elicitio circa huiusmodi finem. Potest etiam dici ad maiorem istius rationis, quia, licet sit vera conditionibus et circumstantiis eodem modo permanentibus, tamen mutatis huiusmodi conditionibus, non est vera. Quamvis enim gravis aqua naturaliter quiescat deorsum, tamen impresso sibi calore tendit sursum, sic, quamvis finem necessario velimus stante eius actuali consideratione, ista tamen mutata, cessamus ab eius volitione. Ad quartum dicendum quod agens necessarium potest dupliciter considerari, vel simpliciter naturale, vel in his, quae agunt a proposito aliquo modo. De primo, maior est vera, ignis enim calefacit quantum po-[81a]-test. De secundo, non est vera, quia, licet omnes homines natura scire desiderent et per consequens necessario, non tamen semper aequae intense desiderant ipsum scire; et, licet intellectus necessario principiis assentiat, tamen non semper aequae intense assentit. Sed quanto magis terminos principiorum et ordinem huiusmodi terminorum considerat, tanto cum maiori conatu firmiter principiis assentit compositis ex talibus terminis, et hoc ceteris existentibus paribus, quod pro tanto adiungo, quia quandoque ex aliquo eventu, ita nigra posset aliquis habere phantasmata, quod terminis conceptis eodem ordine, non tanto conata ipsis principiis assentiret, quanto alio tempore, cum sua phantasmata essent clariora. Sic in proposito stante semper actuali et aequali ultimi finis consideratione, aequae intense appetit voluntas ipsum finem, dummodo cetera sunt paria. Quod pro tanto dico, quia homo bonus et devotus, languens et aestuans divina caritate, aequali existente consideratione in ipso, et in quodam alio, qui vel non habet caritatem, vel non tantam, quantum habet ipse, potest magis intense finem aequae consideratum appetere. Et idem homo uno tempore, quamvis invitatus patiens tentationes, aequali actuali existente in suo intellectu finis consideratione, et in affectu aequali, vel etiam maiori caritate quantum ad substantiam habitus, retardatus tamen huiusmodi tentationibus, minus intense fertur in ultimum finem, quam alio tempore quo huiusmodi tentationibus non laborat. Et istis bene intellectis solvuntur multa argumenta aliquorum doctorum, quae hic non adduxi ratione brevitatis. Ad quintum dicendum quod maior non est vera. Motus enim caeli necessarius est secundum philosophos, et tamen motus inferiores, qui sibi subordinantur sunt contingents, quia agens necessarium mediante causa secunda contingente, potest effectum contingentem producere. Unde naturaliter loquendo, magis econverso debet sumi maior illa, quia causa inferior aliquo modo habet rationem effectus respectu causae superioris, et quia, sicut isti doctores metaphysici dicunt, effectus non potest esse necessarius causa existente contingente, ideo conformiter ad dicta eorum loquendo, ipsi dicere debent, quod in potentiis vel causis subordinatis, si inferior fuerit necessaria tunc de necessitate oportet superiorem esse necessariam, cum tamen econverso dicant in illa maiore. Ad primam rationem secundi doctoris dicendum quod minor est falsa, quia fruibile sive beatificum obiectum, quamvis obscure apprehendatur, tamen apprehenditur sub ratione summi boni aggregantis in se omnem rationem boni. Sic enim ille mundanus philosophus 5 Metaphysicae¹⁴ capitulo. De perfecto apprehendit ipsum dicens: *Est enim quoddam ens perfectum universali perfectione, habens in se perfectionem omnium generum.* Et 2 Metaphysicae ait Averroes¹⁵: *Est enim quoddam ens per se ens, et per se verum, entitate et veritate cuius omnia alia sunt entia et vera.* Et eodem modo, quia bonum et ens convertuntur, habet dicere quod *sit per se bonum, et quod bonitate eius omnia alia sunt bona.* Et ad probationem dico quod ex illa non quietatione non arguitur aliqua imperfectio in illo bono

¹⁴ Tex. c. 21

¹⁵ Com. 4

apprehenso, quia apprehendens illud bonum sub ratione ultimi finis, percipit illam inquietudinem, quam adhuc patitur non provenire ex defectu illius boni apprehensi, sed magis ex indispositione et impotentia apprehendentis. Unde Philosophus apprehendens obiectum fruibile sine omni defectu ait 1 Ethicorum. *Si ergo est aliquod Deorum donum hominibus, rationabile est, felicitatem Dei datum esse.* Et sequitur ibidem: *Optimum videtur et divinum quid et beatum.* Ad secundum dicendum, quod minor non est vera. Ad probationem dico quod, legens librum Ethicorum primum, vel inquirens veritatem circa finis speculationem, non semper apprehendit ultimum finem, ita quod actu iudicet de ipso, sicut de obiecto felicitativo et beatifico, pro quocunque enim tempore sic iudicat de ipso, necessario appetit ipsum, et pro tunc non potest ipsum non amare. Un-[81b]-de, si esset aliquis ita perversi cordis, quod diceret se obiectum beatificum non appetere, cum tamen actu iudicaret, de ipso modo, quo dixi de illo utique dicere deberemus, sicut ait Philosophus de negantibus primum principium 4 Metaphysicae¹⁶ *quod negant ore, corde tamen concedunt.* Sic, et iste negans ore beatitudinem actu apprehensam ordinato rationis iudicio se appetere, appeteret tamen corde. Vel dicendum quod, quamvis per hoc probetur, quod talis actus absolute non sit necessaries, tamen non probatur, quin stante hac conditione, puta actuali finis consideratione, ipse sit necessarius. Ad secundam probationem dicendum quod, quamvis affectati affectione mala non bene iudicent, tamen affectati affectione bona, qualis est affectio ultimi finis, illi optime iudicant. Ad tertium dicendum, quod maior est falsa, quia per immobilitatem voluntatis, vel intelligis, quod voluntas non potest id non velle, respectu cuius dicitur immobilitari, vel quod non possit aliud velle, sed solum illud, vel licet aliud velit, illud tamen, respectu cuius dicitur immobilitari, non potest referre in illud, tanquam in maius bonum, quia illud reputat summum bonum. Si primo modo, tunc maior est falsa, quia hominis esse sic immobilitat eius voluntatem, quod secundum Augustinum etiam ipsi damnati per se et directe non possunt appetere non esse, et tamen ex illo immutabili desiderio non sunt feliciter quietati. Si secundo modo, tunc nec beatus, nec ipse Deus immutabiliter vellet suum obiectum beatificum, cuius oppositum ostendetur in tertio articulo. Si enim beatus nihil aliud posset appetere praeter obiectum beatificum, tunc nullum posset habere praemium accidentale. Quod autem Deus aliquid aliud a se velit et diligat, patet etiam physice loquendo. Dicitur enim 10 Ethicorum quod *secundum intellectum operans et hunc curans dispositus optime, et amantissimus Deo esse videtur.* Et sequitur parum post: *Amantissimus ergo Deo erit, ergo sapiens maxime felix.* Si tertio modo, tunc adhuc maior est falsa, quia, licet immutabiliter desideremus id, quod iudicamus esse summum bonum et non referibile in aliud maius bonum, tamen, quamdiu sumus in via, perfecte non quiescimus, quia ipsum perfecte non possidemus. Desiderium enim rei nondum habitae, dato quod impossibile sit non esse, tamen non dat quietum esse, quia desiderium rei non habitae est quidam motus animi, cuius terminus est quies in ipsa re desiderata iam habitata et possessa. Ad quartum dicendum quod minor non est vera. Ad probationem dico quod amor quo diligit se homo non est contingens, sed necessarius, praesupposita actuali consideratione, et recto iudicio de se ipso. Tamen, hoc non obstante, potest se homo plus, vel minus diligere, secundum quod est melius, vel minus dispositus et secundum quod magis intense, vel minus intense iudicat de se ipso; et nec virtus nec vitium est in isto amore absolute loquendo, quia ut sic amor iste est purissime naturalis, ex puris autem naturalibus, nec laudamur, nec vituperamur, ut patet in Ethicis. In modo tamen istius amoris potest esse vitium, vel virtus, quia, quamvis amor iste sit necessaries, multi tamen modi possunt esse circa istum amorem, qui sunt contingentes et in potestate nostra. SED FORTE dices mihi, quod multi se ipsos occidunt, quomodo illi se diligunt. Item multi sancti mortem desideraverunt, quorum unus sanctus scilicet Paulus dixit:¹⁷ *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* RESPONDEO dupliciter. Primo, quia cum dico quod homo necessario diligit seipsum, loquor de homine ut homo est, sed nunc est ita, quod alii qui sunt peiores hominibus, sicut sunt illi, qui laborent in

¹⁶ Tex. c. 10

¹⁷ Philip. 1

vitio bestialitatis, de quibus Philosophus determinat 7 Ethicorum. *Alii autem sunt meliores hominibus*, de quibus circa principium eiusdem septimi, Hectorem ponens in exemplum, ait quod Priamus dixit de Hectore, quod *non erat filius mortalis hominis, sed Dei, quoniam valde erat bonus*. Et sequitur ibidem: Quare quemadmodum aiunt ex hominibus erunt divini propter virtu-[82a]-tis existentis excellentiam. Et de eisdem ait primo Ethicorum. *Virorum optimos et dignissimos beatificamus*. Et per hoc patet ad instantias, quia occisor sui est peior homine, immo peior est bestia, et ideo non mirum si non diligit se ut homo. Cupiens autem dissolvi et esse cum Christo est melior homine, quia non solum heroicam habet virtutem, quae secundum Philosophum hominem facit divinum, etiam perfecte possidet theologicam caritatem, quae transformat amantem in amatum. Secundo possum et aliter solvere, quod occisor sui ipsius non habet rectum iudicium de se ipso, quia malitia superabundans pervertit iudicium rationis et ideo potest se odire. Sed, desiderans mori propter Deum, maxime se diligit, quia sibi ipsi perfectum bonum appetit. Nam firmiter credit quod non abesset, vel vita recedat, sed post mortem perfectum esse et beatam vitam possideat. Propter quod Beatus Augustinus super iam dicto verbo Apostoli ait: *Velle dissolvi et esse cum Christo multo melius est*. Unde et idem Apostolus post verba praedicta subdit: *Mihi vivere Christus est mori lucrum*. Et eandem sententiam exprimens Beatus Gregorius 10 libro *Moralium*. ait: *Si enim mens forti intentione in Deum dirigitur, quicquid in hoc mundo amarum fit dulce aestimat, omne quod affligit requiem putat, transire per mortem appetit, ut obtinere vitam plenius possit, funditus in infimis extinguere desiderat, quo virtus summa conscendat*. EX HIS INFERRE possum unum correlarium contra quosdam doctores¹⁸, qui concedunt iam dictam conclusionem quantum ad finem in universali apprehensum, negant tamen eam, si apprehenditur, vel ostenditur in particulari pro statu viae, puta, si concipitur Deus in via ut trinus et unus, tunc dicunt quod viator potest eo non frui. Sed, si concipitur in universali sub ratione obiecti beatifici, tunc viator non potest eo non frui. ISTUD NON valet, quia secundum hoc fieret unus syllogismus in debito modo et figura, cuius ambae praemissae essent verae, et* tamen conclusio falsa, quod est impossibile, ut patet 2 Priorum. Arguam enim sic. Quandocunque illud, quod est summum bonum concipitur actualiter et ostenditur voluntati, tunc voluntas necessario desiderat ipsum et non potest ipsum non velle. Sed, quando Deus concipitur et ostenditur voluntati ut trinus et unus, tunc in rei veritate summum bonum ostenditur ipsi voluntati, ergo etc. Maior est vera etiam secundum doctores istos, quia ipsi utuntur ea ad probandum primam conclusionem. Etiam minor est vera, non solum apud theologos, sed etiam apud philosophos. Philosophus enim saepe ponit Deum esse omnium bonorum optimum, tam in Ethicis, quam in Metaphysica. Item ratio trini et unius non est conditio distrahens, et ideo non minuit rationem bonitatis in Deo. Ergo, si Deus in universali conceptus habet rationem summi boni, etiam conceptus, ut trinus, et unus concipietur ut summe bonus, dummodo concipiat ut verus Deus.

QUANTUM ad secundum principale dico breviter quod voluntas per accidens potest obiectum fruibile sibi ostensum in via non velle, quia illud per accidens potest obiectum fruibile non velle, quod praeter intentionem avertit intellectum a consideratione talis obiecti. Voluntas est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia secundum quod aliquid avertit a cognitione alicuius, secundum hoc etiam avertit a volitione eius, cum bonum sit obiectum voluntatis. Illud etiam, quod in agentibus a proposito sit praeter intentionem, per accidens fieri videtur. Minorem probo, quia voluntas dum actu vult ultimum finem, ex sua libertate potest intellectui imperare considerationem alicuius alterius rei, non advertens quod intellectus simul plura ut plura intelligere non potest. Intellectus vero, talem rem cognoscendo iuxta imperium voluntatis, immediate definit a cognitione finis, quo facto voluntas avertitur ab eius volitione, cum per se

¹⁸ Contra Thomam, prima secundae, q. 10 et Got. fr. 2 quodlibet t. q. 1

non feratur ni-[82b]-si in cognitum, et de primo ad ultimum seipsum avertit, saltem per accedens a summi boni actuali volitione.

QUANTUM ad tertium principale dico quod obiecto fruibili clare viso in patria voluntas necessario fruetur et non potest eo non frui quantum de se est. Quod addo pro tanto, quia non inquiri hoc, quid fieri possit per Dei potentiam absolutam, hoc enim superius inquisivi. Haec conclusio potest probari sic. Quando aliqua potentia secundum se totam excedenter movetur ab aliquo obiecto, si talis motio fuerit conveniens et secundum inclinationem potentiae, tunc potentia de necessitate tendet in obiectum; da oppositum, tunc potentia non esset sufficienter mota, et secundum aliquid sui esset non mota, ratione cuius posset se ab isto avertere, et ad aliud convertere, vel actum suum circa ipsum suspendere. Sed obiectum beatificum, sive fruibile clare visum excedenter et sufficientissime movet voluntatem, quantum ad se totam, et quamlibet rationem sui tali motione, quae est convenientissima voluntati. Ergo voluntas actu sui perfectissimi amoris, sive actu fruitionis a tali obiecto non potest resilire, sed necessario tendet in ipsum. 2. Praeterea, obiecto fruibili actu apprehenso cognitione viae, voluntas necessario fruitur fruitione viae. Ergo ipso apprehenso cognitione patriae non potest non frui. Consequentia patet per locum a minori affirmative, antecedens probatum est in articulo primo. 3. Praeterea, ab illo voluntas non potest resilire, in quo reperit rationem omnis boni, et penitus nullius mali. Obiectum fruibile clare visum est huiusmodi, cum sit Deus, ergo etc. 4. Praeterea, potentia volitiva non potest se avertere ab obiecto clare viso replente totam eius capacitatem et omne suum desiderium. Obiectum fruibile est huiusmodi, ergo etc. 5. Praeterea, quaecunque virtus finita per sui motionem taliter immutat aliquam potentiam, quod difficile est potentiae resistere tali virtuti. Si huius modi virtus sumatur infinita, impossibile erit ipsam potentiam motionem talis virtutis abiicere vel refutare. Sed voluntas a virtute bonitatis finitae immo apparentis et modicum existentis mota in via patitur difficultatem ad resistendum. Ergo in patria mota a bono infinito clare viso impossibile est quod resistat. 6. Praeterea, tristitia damnatorum sic movet voluntatem eorum, quod ipsi non possunt non tristari. Ergo gaudium et laetitia beatorum causata ab obiecto fruibili, sic delectabit voluntatem eorum, quod non possunt ad praesentiam talis obiecti non laetari, et ipso per consequens necessario fruetur. Consequentia patet per locum a minori. 7. Praeterea, in statu viae quandoque animus amantis sic rapitur, quod non potest non amare, ergo multo magis in patria. SED CONTRA ISTAM conclusionem arguit quidam doctor¹⁹ sic. Prius potest stare sine posteriori, sed visio est naturaliter prior fruitione sive dilectione, ergo etc. 2. Praeterea, necessitas agendi non potest alicui inesse, nisi per aliquod intrinsecum et inexistentem principio ipsius actus. Sed obiectum clare visum non est aliquid intrinsecum voluntati, ergo non fruetur necessario voluntas propter ipsum. 3. Praeterea, una potentia tantum habet unum modum agenda, sed modus agendi voluntatis est agere libere et contingenter. Ergo non aget necessario, alias oppositi modi agendi in essent eidem potentiae. 4. Praeterea, approximativo agentis ad passum non causat necessitatem, quamvis causare possit actionis intensionem, sicut patet de igne respectu calefactibilis magis, et minus approximativo. Sed obiectum sumptum ut clare visum et * ut obscure visum non est nisi maior et minor approximativo ad potentiam, et visum in universali et obscure non necessitat voluntatem. Ergo nec clare visum ipsam necessitabit. 5. Praeterea, aut ad istum actum volitionis, quem dicis esse [83a] * necessarium, movebit obiectum fruibile, aut voluntas, aut utrumque. Si primo modo, tunc nulla erit ibi necessitas, quia Deus ad nullum actum creatum necessitatur. Si voluntas, non erit ibi necessitas, cum sit potentia libera. Si tertio modo sequitur idem quod primo. 6. Praeterea, caritas Pauli post raptum fuit principium elicendi actum dilectionis contingenter et libere, ergo et in raptu. Consequentia patet, cum fuerit eadem caritas, idem enim manens, idem semper facit, idem secundo de generatione. 7. Praeterea, habitus non mutat potentiam, nec modum agendi

¹⁹ Scotus

eius. Sed voluntas, ut voluntas agit libere et contingenter, ergo, quantumcunque eleve-
 tur per caritatem in patria, semper tamen libere aget et contingenter. SED ISTA OMNIA procedunt,
 quasi ex quadam aequivocatione necessitatis et libertatis. Quia quaedam est necessitas
 violentiae et coactionis, et ista sonat in defectum, nec stat cum libertate, quia, ut dicitur 5
 Metaphysicae²⁰ *omne violentum contristans*. Alia est necessitas immutabilitatis, quae est quasi
 quaedam inviolabilis adhaesio convenientis cum convenienti. Est etiam duplex libertas scilicet
 libertas contradictionis, qua possumus hoc, et oppositum. Et ista libertas inest voluntati
 quantum ad actum electionis respectu eorum, quae sunt ad finem. Alia est libertas eximiae
 complacentiae, secundum quam innascitur in nobis quaedam placidissima tendentia in
 obiectum absque omni defectu monstratum et apprehensum sub ratione perfecti et universalis
 boni; et ista libertas non convenit voluntati penes actum electionis, sed penes actum qui dicitur
 voluntas, quia haec libertas proprie est respectu ultimi finis, respectu cuius non cadit electio,
 iuxta illud 3 Ethicorum²¹. Voluntas est ipsius finis, electio vero eorum, quae sunt ad finem. Est
 tamen hic sciendum quod non pono has duas libertates voluntatis, quasi duas res intrinsece
 differentes, sed unam rem simplicem, quae vel est ipsa natura voluntatis, vel est quaedam
 nobilissima proprietas ipsi voluntati a Deo communicate, capiens praedictam distinctionem
 solum extrinsece penes aliam et aliam conditionem obiectorum. Licet ergo libertas primo modo
 sumpta stare non possit cum aliquo modo necessitates, et secundo modo sumpta stare non possit
 cum primo modo necessitatis; tamen libertatis secundus modus, et necessitatis secundus modus
 optime se compatiuntur, nec aliqua in eis apparet repugnantia. HIS PRAEMISSIS patet facilis
 solutio praedictorum. Unde ad primum dicendum quod maior sumpta universaliter est falsa.
 Substantia enim creata est naturaliter prior respectu, quem fundat ad creatorem, et tamen nulla
 potentia posset fieri sine tali respectu, sicut istemet doctor ponit in suo scripto super quartum
 sententiarum. Item, numerus est naturaliter prior, quam per vel impar, cum subiectum sit
 naturaliter prius passioni. Et tamen nulla potentia potest fieri numerus, qui nec sit par, nec
 impar. Et eodem modo de linea respectu rectitudinis, vel curvitatibus, et de triangulo respectu
 trium angulorum valentium duos rectos, et alias multas illa maior patitur instantias. Concessa
 tamen tota ratione, nihil plus concluditur, nisi de potentia Dei absoluta, de qua adpraesens nihil
 quaeritur. Ad secundum dicendum ad minorem quod talis necessitatis visio obiecti non est
 causa per se, [83b] * sed secundum ordinem, quem videmus, est causa sine qua non. Unde talis
 necessitas inest voluntati per aliquod intrinsecum, quia inest sibi per propriam naturam a Deo
 sibi datam, licet non conveniat sibi respectu cuiuscunque obiecti, sed respectu summi boni. Ad
 tertium nego maiorem, quia voluntas divina est una potentia et tamen est principium producendi
 creaturam, quae contingenter producitur, quia posset non produci, et est principium producendi
 Spiritum Sanctum, qui necessario producitur, quia non potest non produci. Et in minori
 supponitur quoddam falsum, scilicet quod omne, quod libere agit, contingenter agat, quod
 tamen non est verum, nisi de libertate primo modo dicta. Pater enim et Filius liberrime
 producunt Spiritum Sanctum, quia per modum amoris, et tamen necessario ipsum producunt
 non necessitate coactionis sed necessitate immutabilitatis; non enim Spiritus Sanctus
 contingenter procedit, cum non possit non procedere, et tamen libere procedit, cum Spiritus
 Sanctus sit amor productus in divinis. Ad quartum dicendum quod falsum assumitur in minori,
 quia summum bonum etiam in via apprehensum in universali necessitate voluntatem necessitate
 immutabilitatis, ut probatum est in primo articulo istius quaestionis, et ibidem rationes istius
 doctoris probantes oppositum solutae sunt. Ad quintum dicendum quod ista necessitas est ab
 utroque; est enim propter obiectum, quia ita sufficienter movet potentiam, quod ipsa
 immutabiliter actum fruitionis, sive perfecti amoris elicit circa ipsum. Et similiter est a
 voluntate, quae ex sua natura hoc habet, quod a summo bono mota et delectata sibi complacendo
 consentiens immutabiliter conquiescat. Ad sextum dicendum quod sive caritas Pauli sumatur

²⁰ Tex. com. 6

²¹ Cap. 5

in raptu, sive post raptum, semper ipsum Deum sub ratione ultimi finis apprehensum necessario dilexit. Ad septimum dicendum, quod maior non est vera, quia elicere actum delectabiliter, non minus est modus potentiae circa actum, quam elicere contingenter. Elicere autem delectabiliter convenit potentiae per habitum, ut patet 2 Ethicorum²². Ad minorem dico quod in ea, quae sunt citra ultimum finem, voluntas tendit libere et contingenter, sed in ipsum ultimum finem tendit libere et necessario necessitate immutabilitatis.

QUANTUM ad quartum principale dicendum quod nec per se, nec per accidens voluntas a dilectione, sive fruitione ipsius ultimi finis potest in patria resilire. Non quidem per se, ut patet ex dictis in tertio articulo principali, nec per accidens, quia non subest aliqua causa, quare intellectum avertat ab ultimi finis actuali consideratione. Si enim voluntas in patria alicuius alterius rei imperabit considerationem, illa tamen non excludet obiecti beatifici claram visionem, quia secundum Augustinum tam cognitio rerum in verbo, quae dicitur matutina, quam cognitio in proprio genere, quae dicitur vespertina, simul stare poterit cum visione verbi in verbo, quae est aperta visio obiecti fruibilis, quae dicitur meridiana; hanc autem conclusionem ulterius non probabo ratione brevitatis. AD ARGUMENTUM principale patet per iam dicta, quia arguit de actu coactionis, et non necessitate immutabilitatis. [84a] *

Hic secunda subdivisionis particula perpulchre aperitur, in qua Magister difficultates quasdam circa propositam materiam contingenter obiter determinat.

CUM AUTEM HOMINES etc. In ista parte circa praedicta Magister movet quaestiones quasdam, et dividitur in tres partes, secundum quod tres movet quaestiones. Prima est, utrum homo hominibus debeat frui, vel uti. Secunda utrum Deus hominibus fruatur, vel utatur. Tertia, utrum virtutibus uti, vel frui debeamus. Secunda ibi: *Sed cum Deus diligat nos*. Tertia ibi: *Hic considerandum est*. Et quaelibet istarum dividitur in duas partes, secundum quod primo magister praemittit quaestionem, secundo adiungit quaestioni responsionem. Partes patent. Circa materiam istius lectionis quaero hanc quaestionem.

²² Cap. 3